

Friedrich Berlich Felix Grave

Quaestiones Miscellaneae

Rostochi[i]: Richelius, 1651

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730212904>

Druck Freier  Zugang



R u phil 7651

Friedrich Berlich, Pmer

Felix Gröbe, Rap.



I. N. J.
QVÆSTIONES
MISCELLANÆ,
PRACTICÆ
Quas

Felici numinis auspicio

*Consensu Amplissima Facultatis Philosophicæ
in Celeberrima ad Varnum Academia*

Sub

PRÆSIDIO

Viri Eximii & Clarissimi

DN. M. FRIDERICI BERLICHII
LIPSIENSIS,

Placido eruditorum examini publicè submitto

FELIX GRAVE *Hamburgensis*
A. & R.

ad diem 5. Martii horis antemeridianis

in Auditorio Majori.



ROSTOCHI

Typis Johannis Richelii, Sen. Typogr.

Anno c1o 1761.

L. N. J.

QUESTIONS
MISCELLANEA

PART II

Folio 100 verso

Commissarius Generalis
in Christiana. M. J. J. J.

BRANDENBURG

THE HANNOVERIAN

DR. M. FREDERICI RECHTSCHE
HABSIENSIS

FEDEX GRANA FABRICATION

of the ...

...



...

Συὸ θεῶν ἢ Νόμος!

Quaestio I.

An Beatitudo Civilis in perfecta operatione
Virtutis consistat?

Cum omni actione ita videmus esse comparatum ut ea institua-
tur propter certum aliquem finem, tanquam bonum appetibi-
le qui finis causa prima seu causarum causa Aristot. 2. Phys.
Ausc. c. 32. quod nempe alias ad operandum morveat, hanc immerito
vocatur; Omnia siquidem nostra consilia, omnia negotia, omnia deni-
que studia eo nos dirigere oportet, ut ne actiones nostrae frustra & in-
cassum, & certo sine destituta susceptae videantur. An vero in misera
hujus civilis vita conditione finem aliquem qui felicitatis nomine di-
gnus, consequi liceat, à variis variè ferram disquisitionis reciproca-
tam, tam notum quam notissimum. Exhibent equidem hominem
variis miseris expositum, varios eosque inimicos Fortunae quotidie ex-
perientem insultus; videmus saepius ima summis & contra summa
imis misceri; Verum tamen tum studia & actiones nostrae, necessario
in uno tandem desinere debent, ad quod omnia caetera referantur fru-
straneusque alias foret noster naturalis appetitus, si non daretur in quo
acquiesceret, non anxie anhelabimus, ultimum aliquem finem, quem
nonnunquam summi Boni, nonnunquam beatitudinis Civilis appella-
tione dignantur, statuere, & quem quilibet si actiones suas ad honesta-
tis habitum direxerit, consequi valeat. De quocumque enim dici pot-
est quod vivat & secundum virtutem agat, de illo etiam beatitudo
depradicari poterit, asserente Philos. 1. Eth. II. & talis sive blandi-
atur

atur *Leptyrus*, prope *Stemal* *Doreas*, induonimus animam semper gerere
presentissimum & ad id compositam ut seu pressa palma fortius eo sese
erigat, imo n[on] q[ui] in omni fortuna & affectuum insultu appareat.
Sed absque ambagibus penitius in hujus finis essentiam, quo inconsu-
lari, investigabimus. Hoc verò presupposito, quod de nullo alio, quam
de summo Bono Philosophico Practico sermonem instituamus nostrum,
non de omnibus aliorum, de S. B. essentia & natura excogitatis dubi-
tatiunculis levioribus solliciti erimus: non enim negamus *Varro-*
nem in libro de Philosophia 288. diversa super hac re notantem
dogmata, ab aliis allegari, sed modo de communioribus sententiis qua-
rum præcipue recenseri solent sequentes. Afferuerunt quidp[ro] nonnulli
S. B. in voluptate consistere forte qui ipsi voluptatum mancipia, sed
quam inaniter, quilibet facile deprehendet qui pensaverit S. B. homi-
ni esse proprium, voluptatem verò & brutis competere. Hinc *Cic-*
io Tuscul. si nihil haberet alienum hominis animus nisi ut appeteret,
aut refugeret, id quoque ei esset commune cum Bestiis. Præterea S.
B. vitam optimam requirit & perfectam, voluptas verò & in imper-
fecta & vitio, a locum habet, mens quippe assueti delictis, nec ex culta
disciplina sarculo, multas contrahit sordes. Qui verò fastigio Hono-
rum conspicui sunt, summam felicitatem in accessionibus dignitatum
collocant, non considerantes honorem non expecti propter se (quod ta-
men infallibile signum S. B.) sed propter virtutis testimonium licet ja-
pius honores capentur ex opinione potius virtutis & ut aliorum ani-
mi ipsis conciliantur, ad quod præter *Experientiam* quotidie claman-
tem, *Boetius* alludit:

Quid dignum stultis mentibus imprecor

Opes honores, ambiant

Et cum falsa graviori mole paraverine

Tum vera agnoscant bona.

Et quamvis honor revera præmium virtutis sit, non tamen est in
ejus potestate, cui defertur, hinc *Philosophus* 1. *Ethic.* eam potius
honorantis

honorantis quam honorari esse ait. Quid, quod prorsus instabilis & facile eripi potest, quod satis testatur Marius apud Senecam l. 3. de ira C. 4. Quibus auriferus agus bene fluit quique se in laeta & bene audita reputant constitutos possessione, Divitias propugnant, quae tamen appetuntur modo ad vitae usus necessarios & ut plurimum ad perfrueudas voluptates Cic. l. off. & saepius per injurias & fraudes comparantur. Cum S. B. non nisi per honesta media acquiratur. Dum aliquando quidam ab altero felix predicaretur quod praedives videretur multorum navigiorum Dominus alter respondit: Nihil moror felicitatem defunibus pendentem, ut testatur Plutarchus, quo dubio procul, miram divitiarum instabilitatem, & quod in momento qui privari iterum possit, innuere voluit. Quoniam a, ab initio statim dictum attendi hic non contemplativam, sed practicam felicitatem, in idearum contemplatione non admodum sudabimus, siquidem & ea malis & extreme improbis quoque competere posset, quid, quod studio & industria humana vix comparari posse videatur. Qui vero felicitatem in virtute collocant ei quam proxime videntur accessisse, siquidem ut Plautus in Amph. Virtus omnia in se habet omnia adsunt bona quem penes est virtus. Et Seneca hominis bonum ipsa virtus est. Verum quoniam & virtus otioso ac misero in esse potest, & virtuti aliquid superaddi potest, nempe operatio, potius summam felicitatem in actione proba, honesta & seria consistere cum Philosopho asserimus 1. Eth. 3. Foret enim alias nostra practica felicitas inferior & infelicioior omnibus rebus aliis, quae actione praedita in ea exercenda, perfectionem attingere gestiunt. Sicut id ipsum apparet ex facultatibus & membris corporis humani. Et largitur quilibet, hominem potius ad operationis sublimitatem quam ignavia foeditatem formatum esse. Homo Cic. ait l. 3. de Nat. Deor. ortus est ad mundum contemplandum & imitandum sicut omnia aliorum causa generata, quod ipsum variis exemplis illustrat. Hinc S. B. cum Philos. 1. Eth. 6. dicimus esse animae rationalis operationem secundum virtutem optimam & perfectissimam in vita perfecta.

Quaestio 11.

An qui sibi met ipsis manus violentas inferunt
fortes sint dicendi ?

Qui praesentem questionem adstruere conantur, praecipuis ad praeritas aetates recurrunt, ex iisq; exempla petunt. Verum cum actus, & fortis donominetur, honeste debeat suscipi, mediocritati quoque conformis esse & ut ne ad Rempubl. incommodum aliquod redundet, merito ~~ad id~~ fortes esse negamus cum Philosopho 3. Ethic. 7. siuidem hoc factum non honestatis gratia, sed ut dolores evitent, suscipere, & a desperatione, non laudabili prohaeresi consilium capere videntur, & eo simul animi sui imbecillitatem & pusillanimitatem manifeste declarant, quod molestius devorandis non apti rebusq; in adversis desperabundi prorsus frangantur iisq; succumbant. Deinde intentio eorum medium excedit, dum rectae rationi debitum obsequium nequeat, in formidando modum excedit & inconfidendo deficit, imo cum ipsa iustitia pugnat, & naturae adversatur, dum ordinata charitas semper incipit a seipsa. Nec eo utilitas ad Rempubl. redit sed potius i fit injuria, quippe fortes longiorem vitam exoptant quam Civitati proficere, magis magisque virtute sua aliis prodesse queant. Taceo quod nemo membrorum suorum Dominus, multo minus tam consulto tam voluntarie semet ipsum laedere, heu! interficere debeat. Hinc receptum ut huiusmodi avlphoniis solemnitas honestae sepulturae denegetur & sub limine extracti vel in loco supplicis proximo vel separatis & impuris sepeliantur. Similem ferme morem apud alios usurpatum exponunt alii. Thebanos ferunt, eum, qui sibi manus intulerat, tanquam suimet ipsius carnificem, & naturae immanem hostem reputasse. Athenienses vero avlphoni cadaveri defuncto manum facinorosam abscisisse, & inhumatam reliquisse, cadavere licet humato; Tantum igitur abesse ~~av~~ fortes dicendos esse, ut hanc ignominie maculam nec undis omnibus iterum eluere possint.

Quaestio

Quæstio III.

An Justitia in medio consistat?

Mediocris ad virtutem requiri, non facile quis negabit, qui pensitaverit, formam virtutis ipsam in ea collocari. Per hanc virtutem à vitio, rectum ab iniquo secerni; quin si virtus non ad mediocritatem, ad vitium necessariò referenda foret. Hinc sicut jam unius rei duo dantur extrema utrum mediam; ita illo modo unius rei plures virtutes forent, unum econtra vitium, quod tamen profusus obtinere nequit, dum virtus affectus ita refrænât & dirigit, ut nec in eo quod nimium, nec quod parum vocari solet, exorbitent. Tacebat quod Plato 4. de Republ. ait unam virtutis formam esse vitii infinitas, quod dum assero non hoc intendo virtutem omninò in puncto mediè minutissimo collocari, adeò, ut pro ratione subiecti, nec remitti nec extendi queat. Verum quod Philosophus 2. Eth. 5. urget Virtutem propter similitudinem uni extremorum aliquantulum propinquius accedere. Quoniam verò quod dixi virtus ceu medium inter duo versatur extrema, ansam nonnulli capiunt, contra justitiam excipiendi, quod ipsa, quoniam extrema ejus non nominantur, in medio consistere reputanda non sit, licet verò reliquarum virtutum extrema i. e. tam excessus quam defectus certis nominibus veniant, non obstat tamen Justitia extrema uno communi nomine in Justitia designare, quamvis quoad diversos suos actus revera etiam sint inter sese distinctas, quod si enim justitia officium suum, quod ut suum cuique tribuatur, exigere videtur excesserit alteri vel minus vel nimium tribuendo, vel in defectu vel in excessu eam peccasse apparet, & ita ipsa inter duo mediam servat, licet hujus mediè extrema singularibus & certis nominibus destituta, clamitent. Vel qui alteri nimium præter ipsius meritum tribuit injustus, ejus ratione verò cui damnum infertur, injuriosus denominari possit.

Quæstio

Quaestio IV.

An foedera quandoque contrahenda ?

Quisnam primus foederum inventor fuerit, authores sententiarum divortium meditari, memini. Plinio placet Theseus. Diodor. Siculo, Mercurius. Polydor. Virg. lib. 2. c. 15. de invent. rer. Verum ut legimus, in sacro codice, foedera ipsum DEUM authorem habent, dum foedus cum Noa & Populo suo percussit, unde deinceps foedera apud Populos ob utilitatem & necessitatem increbuerunt. Scythae foedera sancientes in calicem fictilem infundebant vinum commixtum sanguine eorum, qui foedus feriebant, sagittas, securim, jaculum tingebant, seseq; invicem multis verbis deovebant & vinum epotabant. Apud Romanos Polybio teste ut notat Dempster. Antiq. Rom. lib. X. c. II. & lib. II. c. 5 pag 141. in fine, primum foedus cum Carthaginensibus ineuntes, Fecialis manu lapidem prendebat in haec verba terumpens, si sine dolo malo hoc foedus facio, Dii mihi cuncta felicia praesentent, sin aliter aut ago, aut cogito, ceteris salvois, solus ego perream, ut hic lapis e manibus, & mox lapidem projiciebat. Sic legimus Arabes quoties foedus fecerunt, Dionysio & Urania lapidem jurasse. Thomas Morus quidem lib. 2. utop. Gentes commendat utopia quod foedera cum nemine contrahant, cum naturae consortium foederis vice habendum, & homines melius benevolentiam quam pactis, animo quam verbis conjungatur, nec is qui naturam negligit, vel verba curet. Sed cum ex foederibus non parum emolumenti redundet in publicum cur non ea frequentari possint. Quod si enim omnis homo, amicis indiget, neque Rex aut Princeps, cui non amulus & adversarius, ut verissimum Aristot. 8. Ethic. effatum, ut quisque maxime opibus, Principatu atque potestate excellit, amicis tamen quam maxime eum indigere. Quid Reipublicae honesta foedera interdicerentur, cum haec arites sint, quibus conatus adversariorum improbos destruere atque in nihilum redigere possit, sicut constat Regem Galliarum Ludovicum XI. magnam

in magnam salutem Regno per Helvetiorum foedus conciliasse Cominaeus lib. 7. Modo tamen iusta & legitima causa subsit, eaq; non modo legitima sed & necessaria. Alberic. Gentil. de jur. Bell. lib. 7. c. 7. Probè autem attendatur quomodo foedus ineatur, ne perfidia intercedente majori cum incommodo iterum frangatur. Hac tamen quæ dicta ad infideles extendenda non arbitramur; Christiano siquidem Principi, si ab alio Christianæ religioni addicto oppugnaretur, cum Turca, Christianæ Religionis hoste insensissimo foedus pangere turpissimum foret, consulatur. Rumel. ad Aur. Bull. part. 2. discurs. 4. th. 35.

Quaestio V.

An Reipubl. expediat Principem ipsum bello interesse?

Militarem sine Duce turbam corpus esse sine spiritu, scripsit Curtius 10. Historiarum. Quemadmodum enim navis remiges sine gubernatore, facile naufragium pati; Ita Exercitus militaris sine Imperatore seu Gubernatore facile devinci potest. Præsentia enim ipsius milites fortiores & alacriores redduntur: contra ut Plaut. in Amphitr. innuit.

Ubi summus Imperator non adest ad exercitum

Citius quod non factum est usus, fit, quam quod factum est opus. Experientia sæpiuscule attestatur, Belli Duces subordinatos vitia & in cautelas suas necessitatis velo, & quod nimis remorus fuerit Princeps, obtegere. Omnia præterea, a jure ordinatius disponi & felicius expediri, ubi Principi ipsi præsentia adesse licet; Hinc non inconcinne is mortuo Alexandro M. Macedonum exercitum Cyclopi extacato comparabat: Ut ut verò ambabus concedimus manibus, præsentiam Ducis multum consilii & virium militibus addere: Attamen Principem ipsum Bello interesse Reipublicæ expedire, dubitamus, imo tutius videtur (ut Taciti 2. Annal verba nostra faciamus.) Si Princeps dubiis præliorum exitus summæ rerum & Imperii se ipsum reser-

B

ser ver.

seruet. In milite enim unius salus, in Imperatore uniuersorum periculum Lips. lib. 5. Polit. c. 14. Hinc Cicero in catilin. videbam perniciem meam magna cum Reipubl. calamitate esse conjunctam. Quod si enim capiatur Princeps, maximum ad Rempubl. resultabit incommodum, cum propter hyeron, quod pro ipsius salute prestare tenentur Cives & subditi; Tum quod difficilibus conditionibus, quas acceptare deberent, suum Principem denuo acquirerent. Quid! si prorsus in praelio occumberet? Historiæ enim clamitant maximam hostium vim in Principis personam esse directam. Hinc Epaminondas suis Thebanis contra Lacedæmonios pugnantibus, hoc quasi singulare arcanum militare suppeditauit, serpentem arripiens, & ipsi caput conterens, postea talia proferens: videtis dum caput huic serpenti contritum, reliquum sine robore & damno quod alius inferre potuisset, jacere; Hoc si præstiteritis in militia & Lacedæmoniorum Principem, seu caput exercitus erucidaueritis, reliqui facile manus victas dabunt. Ita legimus Henrici VI. Angliæ Regis, cum se Lancastricæ factionis Ducem gereret, & Mauriti Saxonie Ducis morte, reliquum exercitum insigni damnum sustinuisse. In bello itaque necessaria erit Belli Ducis cuiusdam Generalissimi præsentia, non ipsius Principis summi, propter plurima incommoda, quæ potere suo commoda, facile superant.

Quæstio VI.

An summus Princeps sit solutus Legibus?

Hæc in controversia enodanda Politicos & Jurisconsultos totis castris inuicem disfidere nonnulli arbitrantur. Plato 4. d. legib. Exitium paratum esse ait illi Civitati, in qua non lex Magistratibus, sed Magistratus legi præsumt, salutem verò illi, ubi lex seruientibus Magistratibus dominatur, Aristot. 7. Polit. c. 16. id ipsum quoque innuere videtur, dum dicit: Qui legem præesse jubent, videntur DEUM præesse jubere & legem, qui autem hominem, adjungunt & Bestiam.

Bestiam. Verum hisce sepositis tutiores nobis esse videmur cum aliis
statuentes: Principem summum legibus solutum esse, nec ut hoc re-
sultet ex privilegio quodam, uti perperam statuisse ajunt Anton Fa-
brum. Sed ipso jure Majestatis, quae summa perperua legibusq; so-
luta potestas. vid. Bodin, 1. de Republ. c. 8. Et qui Majesta-
tis propriis LL. teneretur? cum Par in Parē non habet imperium
ut hoc variis modis si opus foret, demonstrari posset. Imo impossibile
ut ei, qui ipse lex (ut Princeps ab Aristotele lex animata voca-
tur) alia lex feratur; Ridiculus imo foret qui ipsum subicere legibus
conaretur, quasi leges imbecillioribus latae, leones etiam earum
Latores tenerent. Arist. 3 Polit. c. 13. Hinc lepidè Imperator
Sigismundus in Concilio Constantiensi à Cardinale Placemino, ob ver-
bum, quod vitiosè protulerat, reprehensus, respondit: Si supra leges su-
mus, quare supra Grammaticam esse non possumus. Lehman lib. 7
Chron. Spirens. c. 79. pag. 836. Quamvis verò jure legibus
Princeps solutus, legibus tamen & honestate ipsa vivit.

Non Tibi quid liceat, sed quid fecisse decebit

Occurrat, mentemq; domet respectus honesti.

Claudianus canit. Hinc saepe Divos Fratres hunc in modum ab-
legant rescripsisse. Licet Legibus soluti sumus, attamen Legibus vi-
vimus. Digna enim vox est Majestate Regnantis, Legibus alliga-
tum se Principem profiteri. Unde eleganter Fridericus I, imp. apud
Guntherum pronuntiat:

Nam nihil ut verum fatear, magis esse decorum

Aut Regale puto, quam legis jure solutum

Sponte tamen legi sese supponere Regim.

Quaestio VII.

An Servitus omnino contra naturam?

Negabimus praesentem quaestionem cum Arist. 1. Pot. 3. Keck-
kerm, Synops. prudent. Oecon. c. 4. cum praesertim ducti se-
quenti

quentibus. Videmus siquidem nasci quosdam a deo impotentis & de-
jecti animi ut nec sibi nec suis commodis commodè possint prospicere,
nec suis quidem occupationibus laborare, sed qui semper ad alienum
dormiant, ad alienum ambulent gradum, ad alienum comedant appe-
ritum, imo qui sibi de cibo & victu necessario præcarere nequeant qui
nisi aliorum infervirent necessitatibus, fame vel perire, vel alienis re-
bus uncas adicere manus necessum haberent; Quo sensu Busbeq.
Epistolarum exoticarum tertia egregiè differit: Libertatem
omnes ferre non possunt. Non enim omnes ita nati sunt, ut se regere
& suo arbitrio rectè uti sciant, melioris ductu atque imperio, tanquam
ad miniculo opus habent nullum alioquin pescandi finem facturi, ut sunt
quedam bestia quorum ferocitas semper metuenda est, nisi vinculis
aut robore coerceantur. Quapropter Gen. Grotius lib. 2. de J.
B. & P. ex Posidonio Storico annotat, multos olim fuisse qui sua im-
becillitatis conscii, sponte se aliis in servitutem tradiderint, ut domini
quidem ipsis providerent de necessariis, ipsi verò operam vicissim quam
possent præstarent. Dubio procul in ore illis semper fuit quod cuidam
apud Plautum.

Liber si sim meo periculo vivam.

Nunc vivo tuo.

Adeoq; testatur Comicus alibi:

Qui se fugiivi gesserunt pro liberis,

Multi recurrunt pristina ad præsepia.

Talem animi imbecillitatem Aristot. servitutem appellat: Et quoniam
ea indoli & ingenio quorundam mirum in modum convenit, digne quo-
que naturalis i. e. naturæ non repugnans denominabitur. Insuper
natura semè robustiora corpora ad onera ferenda produxisse censenda,
& imbecilliora, ut liberalibus artibus & iis qua minus laboris requi-
runt, incumbant & præsent. Nec est quod nobis quis JCrum oppo-
nat servitutem contra naturam asserentem. Si enim penitius in hoc
thema præsens quis inquisierit, reperiet JCrum Philosopho hoc in passu
minimè

minimè contradicere. Concludimus modo cum Gener. H. Grot. de
J. B. & P. lib. 3. c. 7. Licet servi quidam natura, i. e. circa factum
humanum, aut primævo natura statu, hominum nulli sint; Factio ta-
men hominis servitus ut originem acciperet, iustitiæ naturali non re-
pugnat, vid. Horolog. Princip. lib. 1. c. 28.

Quæstio VIII.

An Papa in imperium nostrum potestatem habeat?

Certissimè nobis persuasum habemus, non tam pro Helena olim
certasse Græcos, quam pro potestate in imperium nostrum Papicolas
celticâ audaciâ pugnare. Stabilire conantur hanc potestatem sacris li-
teris, sed sensum non è scriptura sacra, sed in scripturam torsum & per-
versum inferunt. Mox Papam celestis & terreni Regni caput constitu-
unt. Mox Reges in recognitionem Majestatis Pontifici pedes exoscu-
lari nugantur. Verum recurrendum esset ad ea tempora, quibus Clerici
sub potestate Imperatorum fuerint, iisdemq; tributum, quod subjectionis
sessera, solverint. Quod si verò originem Potestatis Papalis atten-
dere velimus. Imperatoria Majestas Papali prior est. Papa quip-
pe qui hodie vocantur, tum nudo munere Ecclesiastico functi, brachio
seculari destituti, quorum alii denominati Episcopi, alii alia sortiti no-
mina; Donec Leo, ab Imperat. Phoca titulum universalis Episcopi
emendicavit, hinc pederentim, paulatim, gradatim illorum potestas
crevit. Accedit quod Pontifex non Imperatorem constituat, sed olim
ius eligendi ac confirmandi Pontificem penes solum Imperatorem jure
Potestatis Ecclesiasticæ resederit. Namque Otto Leonem Henricus
III. Clementem Damascum, Leonem IX. & Victorem II. Papas
crearunt. Cuspin. in vit. Hinric. III. Sleidan. d. IV. sum-
mis Imper. pag. mihi 246. Imo ex justa causa quoque deposu-
erunt, Johannem enim XII. Papam, qui totus lubricus & mere-

erices publicè retinebat Otto deiecit: Ludovicus IV. Johannes
XXII. Pontificatu abdicavit. Præterea nullum solidum & fide
dignum assertionis suæ fundamentum asserre possunt, imo præcipua tes-
timonium domesticum, quod prohibitum, sapiunt. Hinc à Friderico
Imp. An. M. C. LVII. constitutum ut læsæ Majestatis reus pronun-
ciaretur qui diceret imperium nostrum esse à Papa. Potestatis verò
Papalis non modo in Imperatorem, sed & alios Principes & Reges,
cancer fuit, quod olim in tenebris plus quàm cimmeriis, Papam ceu
DEUM venerati sint, nec Papam errare posse, sibi per suasum habue-
runt. Hinc benedictiones Papales frequentes urgebant. Hinc co-
ronationem Imp. ab iis sumebant. Sed errore hoc per DEI gra-
tiam detecto, ne coronari quidem à Papa exoptarunt, uti testantur
Historiæ, cujus rei initium numeratur à Ferdinando Caroli V. Fratris.

Quæstio IX.

An Imperium sub quo vivimus Romano-
Germanicum sit Monarchicum?

De statu Imperii nostri Sabbathina & verè Magistralis quæstio
Limnæ de jur. publ. lib. I. c. 10. n. II. Quidam eum repu-
tant pure Monarchicum, quidam Aristocraticum, quidam denique ex
Monarchia & Aristocratica simul. Joachim. Cluten. in Syll. rer.
qvotid. concl. 16. Qui postremæ sententiæ ad stipulantur, à vero
nimis abesse, non videntur, si hac lege & conditione Imperium nostrum
Monarchicum, Aristocraticè aliquantum temperatum affirmarint, ut
à potiori fieret donominatio. In hoc verò antequam diutius nos deti-
neamus, Imperii nostri facies moderna ab antiqua, à quâ originem
trahit & adhuc imperium nostrum, Romanū æquè rite vocatur ac Ger-
manum à Successoribus ad quos translatum, probè secernenda. Tempo-
re Romuli ad Tarquinium superbum usque Regium obtinuisse statum
nemo facile, nisi qui prorsus in historiis hæspes, inficias ibit; Tarquinio
verò

Verò ob stuprum Lucretia illatum, ejecto, Aristocraticus fieri cepit,
paulo post Democratia irrepit. Tandem Monarchia postliminio
quasi reducta, Lege Regia omnis potestas Principi concessa, ab eoq;
tempore adhuc hodie summam potestatem, licet capitulationibus ali-
quantum coarctatam, nemo Imp. modernis denegare audebit, nisi
qui læsa Majestatis crimen incurrere voluerit, siquidem Capitulatio
Monarchiam demere nequit, cum neque Princeps, neque Rex sit cu-
jus non potestatem stringat iura cum ordinibus pactio Hortled. in
disc. d. L. Reg. Germ. ap Gold. part. 12. Cum enim aliis Re-
gibus Majestatem attribui cernimus, cur Imp. nostro Clementissimo,
cui omnes præcedentiam & prærogativam libenter concedunt, imo
eui & ipse Turca primas desere, ejusq; Filius audiri cupit. Thuan.
Histor. lib. 136. Vsq; Illust. quæst. c. 25. n. 4. Potestatem
summam denegaremus. Neminem enim in Imperio nostro superio-
agnoscit, nisi DEUM. Hinc Caput & Dominus Clementissimus ap-
pellatur Rec. Imp. Aug. d. Anno M. D. XXV. Cui omnes imperii
ordines rationem reddere tenentur. **R. A. d. Ao. M. D. XXIX,**
S. und seiner Majestät gedensck zu verantworten. Et juramen-
tum non modo fidelitatis sed & subjectionis præstant. Regn. Sixtin.
d. Regal. lib. 1. c. 14. Warem ab Ehrenberg. lib. 2. de
foeder. n. 161. Quibus ex plenitudine potestatis imperat, uti liquet
ex formula Recept. Imper. apponi solitâ d. Anno M. D. XLIV.
**S. Als wir aber verb. von Obrigkeit wegen vnd auß vnser Käy-
serlichen Macht Vollkommenheit gesehet vnd geordnet: Ent-
schliessen / meynen / setzen vnd ordnen auch darauff / als Römi-
scher Käyser / von ob berührter / vnser Käyserlichen Macht
Vollkommenheit hiermit. &c. Accedit quod multa sibi Regalia
Imp. servavit, quæ quoque nomen hinc videntur sortita: Ita solus
Imp. vocatur Majestas, adeo ut nec Regi Romano nec Electoribus qui
tamen Regibus æquiparantur, hæc appellatio attribuat. Bod. 1. d.
Republ. c. II. Soli Imperatori jus extrema provocationis competit.**

Ita

Ita ut ad nullum alium quis provocare queat, nec audeat. Solus summum Imperii vocatur caput, solus obtinet jus postarum, ut solus cursores publicos instituat. Hinc Imp. Matthias rescripsit, daß die Kaysersliche Hoff Post ihrer Majestät vnd des Heiligen Römischen Reichs hohes Regal sey &c. Et Thomas Mich. d. jurisdict. concl. 12. lit. b. exemplum tradit quo alicui generales cursus disponere volenti à Cesare pro juris sibi competentis tuitione, id fuerit inhibicum. Plura recensere, intermitto. Quod verò nonnulla Jura Majestatis non penes unum solum, verum simul & penes Principes & status imperii resideant v. g. quod in condendis legibus univ. salibus, in indicendis bellis & wedigalibus Sleid. i. d. stat. Rel. Principum quoque consensus requiratur, Imperio nostro aliquid Aristocratici admixtum esse dubie procul, innuere videntur. Et confirmat id ipsum Oratio Electoris Moguntini status Reipubl. nostrae optimè gnari, apud Sleidan. lib. i. d. statu Relig. dicens: Animi fortitudinem ex tribuunt, sed ad Monarchiam illam spectat, nobis autem in primis est Aristocrata retinenda. Quamvis hæc verba Moguntini alio sub sensu exaudiat Frider. Hortled. de bell. Germ. lib. 5. c. 3. n. 7. Sed satis esto.

A. T. G.

DVM studii specimen, GRAVI, proferre laboras
Gratulor ex animo. Tu rege cuncta DEVS.

CASP. MAURITIUS D. P. P. & Eccl. Academ. Rector.

CEU nomen FELICIS babes, ita rem gere, quò Tu
Sis felix vita tempus, in omne tua.

deprop.


ANDREAS TSCHERNINGIUS Prof. P.

Nomine Felicis meritò Te quisque vocamus;
Felicem nam Te forsque DEUSque facit.

Gratulabundus adscrib. Dn. Respondenti

NICOLAUS RAPE L. L. Studios.





Verò ob stuprum Lucretia illatum, ejecto paulo post Democratia irrepsit. Tan quasi reducta, Lege Regia omnis potestati tempore adhuc hodie summam potestatem quantum coarctatam, nemo Imp. modi qui læsæ Majestatis crimen incurrere vult Monarchiam demere nequit, cum neque jus non potestatem stringat in ita cum or disc. d. L. Reg. Germ. ap Gold. p. Regibus Majestatem attribui cernimus, cui omnes præcedentiam & prærogativam cui & ipse Turca primas deferit, ejusq. Histor. lib. 136. Vasq. Illust. quæ summam denegaremus. Neminem enim agnoscit, nisi DEUM. Hinc Caput & pellatur Rec. Imp. Aug. d. Anno M. D. ordines rationem reddere tenentur. X. s. und seiner Majestät gedencke zu wetum non modo fidelitatis sed & subjection d. Regal. lib. 1. c. 14. Warem alfoeder. n. 161. Quibus ex plenitudine ex formula Recept. Imper. apponi solitas. Als wir aber verb. von Obrigkeit fertigen Macht Vollkommenheit gschliessen / meynen / setzen und ordnerlicher Kaysers / von ob berührter / v. Vollkommenheit hiermit. &c. Ac Imp. servavit, quæ quoque nomen hinc Imp. vocatur Majestas, adeo ut nec Regiam tamen Regibus æquiparantur, hæc apper Republ. c. II. Soli Imperatori jus ex

us fieri cepit,
ra postliminio
cessa, ab eoz
ationibus ali-
audebit, nisi
m Capitulatio
ue Rex sit cu-
Hortled. in
nim altis Re-
clementis simo,
ncedunt, imo
pit. Thuan.
Potestatem
ostro superio-
entis simus ap-
omnes imperii
D. XXIX.
Et juramen-
egn, Sixtin.
g. lib. 2. de
rat, uti liquet
D. XLIV.
h onser Kays
rdner: Ents
f / als Römis
ichen Macht
a sibi Regalia
ita: Ita solus
Electoibus qui
tur Bod. 1. d.
tionis competit.
Ita

